Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 581

Quelle:
Copyright:

nerit Codex, liquet e clauſula miniata: *Iſte liber eſt emptus ad expenſas magiſtri Cholomanni In probſtorf*, cujus abraſor non aliud conatus ſui pretium tulit, quam ut curioſi lectoris in indagandis literarum veſtigiis patientiam exerceret.

CCXCVIII.

R. 2279 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 122. f. per duas columnas luculente ſcriptus, rubricis diſtinctus, et quondam *Monaſterij Sancte Dorothee in wienna*, quod Collegium Canonicor. Reg. S. *Aug.* fuit, continet *Explanationem S. Hieronymi in Jeremiam Prophetam.* Initium Prologi eſt: *Poſt explanationem duodecim prophetarum eſaye. danielis. et ezechihelis* &c. Sequuntur omnes VI. *Libri* cum ſuis ad *Euſebium* Praeloquiis, ut Edit. *Vallarſ.* T. IV. *col.* 833. textu Prophetae literis majuſculis exarato, correctione tamen multum infra Edita.

II. *fol.* 90. p. 2. continuo *Expoſitio beati Jeronimi in lamentaciones Jeremie.* Libris III. quorum I. *de primo et ſecundo Alphabeto*, II. *de tertio Alphabeto*, III. *de quarto Alphabeto*, quibus accedit *Oratio Jeremie* et demum Clauſula miniata: *Explicit liber commentariorum beati Jeronimi in ieremiam.* Serione haec? Certe; ſi *Longii Bibliothecam ſacram* audis, quae T. II. *Pariſ.* 1723. p. 1122. inter *Scriptores in Threnos* refert *Hieronymum*, et p. 776. dum Editionem *Martianaeam* recenſet, *Tomo* III. adſignat *Commentarios in* quinque *Prophetas Majores et in Threnos Hieremiae.* At enim fruſtra tu Tomum illum adieris. Nullus in *Lamentationes* ſcripſit *Hieronymus*, qui curis, valetudine, ſenio praepeditus ne de ipſa quidem Prophetia plus ad nos transmiſit, quam XXXII. priorum *Capitum* Explanationem. Quo igitur noſtram referemus? Ne te teneam, ſume in manus *Tomum IV. Opp. Hrabani Mauri* edit. *Colon.* 1626. f. eamque reperies *Commentariorum* ejus *in Hieremiam* poſtremos III. *Libros* XVIII. XIX. et XX. a pag. 136. conſtituentem. Licet vero impoſturam ſuſpicari. Initium Praefationis in Editis *B. Hieronymi* meminit. Multis igitur lineis omiſſis Librarius noſter ibi demum orſus eſt: *Habes in lamentacionibus ieremie quatuor alphabeta* &c. Ita et ſub finem in iis verbis ſtitit: *In qua uniuerſitate nimirum et ipſi iudei conprehenduntur;* ratus fortaſſe multa illa, quae in Editis ſequuntur, recentiora *Hrabani* tempora nimium redolere.

CCXCIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2277 XIV. Folior. 258. f. maj. paene quadro per duas columnas luculente, pulcreque exaratus, coloribus illuſtratus, et quondam, ut praeſcribitur, *Monaſterij Sancte dorothee vienne*, titulum habet: *Incipit expoſitio ſancti Jeronimi presbiteri in ezechielem prophetam.* Praeit Prologus ad *Euſtochium*